

B. N. II 152
h. 40, 14.

(X 1877955)

II R
2428

Q. F. F. F. Q.

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

VENATIONE PRINCIPUM,

Quam,

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
AUTORITATE ET DECRETO,
PRÆSIDE,

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO,

DN. JOACHIMO NERGERO,

GRYPHIMONT. SILES. JCTO ET ANTECESSORE
CELEBRATISSIMO, CURIÆ ELECTORALIS, SCABINATUS,
ET FACULTATIS JURIDICÆ, QVÆ WITTEBERGÆ SUNT, NEC NON
JUDICII DUCALIS IN INFERIORI LUSATIA ASSESSORE
GRAVISSIMO, MERITISSIMO,

Patrono & Promotore suo, piè, devotè & observanter colendo,

PRO LICENTIA,

Summos in utroq; Jure Honores & Privilegia Doctoralia
ritu solenni consequendi,

Publicæ Eruditorum Disquisitioni

ad diem XIII. Junii, A. R. S. M DC LXXII. in Auditorio Majori,

horis Ante- & Pomeridianis sistit

M. FRIDERICUS ZIEGNERUS,

Altenburgo - Misnicus.

WITTEBERGÆ imprimebat DANIEL Schmag! Acad. Typogr.

DISPUTATIO INAUGURALIS
VENATIONE
PRINCIPUM
MAGNIFICI SPECTORUM ORDINIS
AUTORITATE ET DECRETO
TRAVIDE
TRAVIDE
TRAVIDE



M. ALBERICUS ZINGBERGUS
Altenburgo - Strömung

bu
tu
ea
ev
ad
m
v
qv
ve
ho
cr
Le
pla






L. S.

Inter cætera Thematata *Disputationis meæ Inauguralis*, quæ deliberanti, uti fieri assolet, occursabant, *Princeps* erat. Sed cum PRINCIPE meo Altenburgico beatissimo, herede exasse tum Virtutum, tum Regionum Paternarum, cui eandem eâ, quâ par est, subjectione dicare animus erat, evanuit. Remansit *umbra*, particula Jurium ad Principes spectantium, Venatio. Et in memoriam dulcissimi nominis, PRINCIPIS, *Venatio Principis*. De quâ eò brevius agam, quò prolixius alii, *Nöe Meurerus*, & qui ejus vestigia legerunt fideliter. Sumus alioqui hodiè tantùm Echo Scriptorum veterum, & crambem centies coctam, sæpè cum nausea Lectorum, prolixè recoquimus. Mihi brevitatis placuit, & placebit. Limites ergò & cancelli,

A 1

qvos

quos inter me hac vice contineo, §§. XXV.
erunt, nec plures. Venabor intra eos *non feras,*
sed de feris verum. Duce non Dianâ, sed
DEO: Quem, ne invitos canes venatum
ducam, & Ætnæum fortè venatorem agam,
precibus devotis ambio, velit hanc meam de
Venatione opellam qualemqualem, festinatam,
quod fateor, coronide beare exoptatissimâ.
Tu autem, *Lector amicissime,* Venationem
hanc meam æqui consules, &, sicubi à scopo
quandoq; aberrâsse me videris, cogitabis, neq;
omnium Venatorum sclopeta feras tangere.
Vale.



§. I.

PER *Principes* intelligo quosvis, qui in Re-
publica summam habent Potestatem; Non
solùm Imperatorem: Non eos tantùm, Qui
Principis titulo gaudent. Res clara est, neq; indi-
get prolixitate verborum.

Alterum Thematis membrum, Venationem
videlicet, quod attinet, præmoneo, vocem
Venationis usurpari dupliciter. 1. propriè & Juri-
dicè. 2. impropriè & figuratè. Impropriè, pro
studio & desiderio magno alicujus rei. Ita lenones
venari dicuntur puellas calceamentis & vestimentis
pro-

207p

Λ

promissis, *in Nov. 14. pr.* Propriè & Juridicè, iterum dupliciter. (1.) Generaliter, quatenus venationem in specie ita dictam, Piscationem & Aucupium in se complectitur. *Vultej. in Jurispr. Rom. l. 1. c. 70. Habnius ad Wesenb. tit. de A. R. D. n. 7. Treutl. vol. 2. Disp. 20. th. 2.* (2.) Specialiter, pro solâ venatione ferarum, contradistinctâ Aucupio & Piscationi. Et hæc mihi hâc vice curæ cordiq; unicè erit, cum diversa hujus Jura sint à Juribus Piscationis & Aucupii, per ea, quæ habet *Wesenb. ad T. de acqu. rer. dom. n. 7. Schultzius in Synops. Inst. tit. de rer. div. lit. b. § i. aliq; passim.* Plura Venationis significata *Martinius in Lexic. suo Phil.* suppeditabit.

§. 2. Pergo ad *Definitionem* Venationis in specie dictæ, quam aliud nihil esse ajo, nisi *consecrationem ferarum, in libertate naturali existentium.* Hic *Genus* notetur, consecratio. Pleriqve occupationem vel Capturam substituunt. Sed non adeò bene. Qui enim venatur, non statim occupat aut capit, cum multa accidere possint, ut nihil capiat. §. 13. *J. de Rer. divis. L. 5. §. 1. de A. R. D.* Interim tamen verè eum venari quis neget?

Differentia desumpta est ab objecto. Sunt objectum Venationis *Feræ.* §. 12. *J. de R. D.* Excluduntur ergò *animalia mansueta.* Non obstante eo, quòd in casu, ubi faucibus Luporum iterum eripiun-

eripiuntur, quodammodo venatione recuperari videantur. *vid. Colleg. Argentor. tit. de A. R. D. §. 15. in fin.* Excluduntur porro voce ferarum *latrocinia*, quæ consecrationes quidem sunt, sed hominum. *Ern. Cothmannus Resp. 43. n. 1. libro singul. Resp. Jur.* Ut proinde venationes dici nequeant. Nihil huc facit, quod latrones ab Hebræis quandoque Venatores vocentur, teste *Bodino l. 3. de Rep. c. 7.* quod quidem ipsum vel ex solo loco *Gen. X. 9.* patescit, ubi Nimrodus non tam ob venandi studium, quam Imperii per vim armatam propagandi libidinem robustus Venator (*Lutherus vertit, Ein gewaltiger Jäger für dem HERRN*) audit. *vid. Ern. Cothmannus in Resp. Jur. libro singul. Resp. 43. n. 3. & 4.* Lulus enim erit in terminis.

Verbis reliquis in definitione positis removeo *venationem Persicam & Arenariam*, de quibus §. proximè sequenti.

§. 2. Præmissâ ita & explicatâ definitione *divido*. Est autem Venatio (i.) ratione loci triplex, *Arenaria, Persica, & saltuosa*. *Arenaria* in amphitheatris arenâ stratis celebrabatur inter hominem & bestiam, vel ad mortem, vel ad casum saltem alterutrius partis. Mentio ejus fit *in l. 122. pr. de Leg. 1. l. 4. de administr. rer. & Nov. 105. c. 1. Add. Perezius ad tit. C. de Ven. fer. n. 1. & seqq. item Meie-*

ri
s.
1,
o.
r.
c
l-
d
t,
n,
i-
n
d.
3.
o
is
ne
x,
n-
i-
l-
r.
d.
e-
us

rus in Coll. Arg. tit. de A. R. D. §. 10. Cael. Rhodiginus
l. 10. c. 5. Lect. Antiqu. Albericus de Ros. sub. V.
Venatio. Persica, à Persis, qui eo genere vena-
tionis delectabantur, vocitata, in vivariis (h. e.
locis, ubi pecudes Sylvestres clausis nemoribus
servantur, quæ olim à tabulis roboreis, quibus
septa erant, Roborea dicta esse Gell. l. 2. Noct. At-
tic. c. 20. refert) & fortè etiam alibi, uti hodiè in
Aulis, vel foris publicis, fiebat, voluptatis gratiâ,
& ad explorandum animi corporisq; robur.

De utraq; specie nihil ampliùs, cùm tertiæ sal-
tem & ultimæ, quæ in sylvis & agris fit, Venationi
scilicet *saluose sive vulgari* modò inhærere
placeat, quia licitissima & utilissima existit. Eam
autem subdividam ulteriùs. Et (1.) quidem ratione
cause efficientis, cujus respectu *precaria* est vel
spontanea s. sponte concessa, nullis intercedenti-
bus precibus. De venationibus precariis, quas
Germani *Gnaden Jagten* nominant, *Besold. th.*
pract. sub voce Jagten / hoc unicum moneo, quòd,
etsi ad certum tempus usque à Principe concessæ
sint, nihilominus ante istud revocari possint, per
l. 12. in pr. ff. de precar. Licet enim Venationi tali-
ter indultæ pactum tacitum de non revocando
ante tempus statutum insit, nihil tamen operatur;
Ratio, Quia pacta, quæ contra genium & naturam
contractus sunt, pro nullis habentur. *arg. l. 27. ff.*
de

*de mort. caus. don. Conf. Gothofr. ibi. (2.) Ratione
objecti Venatio superior est vel inferior, Hohe
und niedere Jagt. Illa est Aprorum, Cervorum,
Urforumqve. Hæc minorum ferarum, Leporum,
Vulpium & animalium consimilium. Vide sis Be-
soldi thes. pract. loc. alleg. & Sprengeri Inst. Jur. Publ.
l. 2. c. 13. (3.) Ratione Modi (1.) clamosa est vel
quieta. Illa cum clamore & canibus peragitur.
Hæc sine clamore & canibus, solis laqueis, retibus,
& ejusmodi rebus aliis. Hahn. ad Wes. tit. de A. R.
D. n. 7. ad verb. quare & Ecclesiasticis. Desselius in
Erotem. Jur. Can. Tit. de cler. venat. (2.) nimia
est vel moderata. Hic Principes istud Horatii 1.
Sat. 1. teneant :*

*Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.*

§. 4. (4.) Respectu Juris concessi laxiorem
facio & angustiorem. Quippe Jus venandi nimio-
perè variat. Interdum restrictum est ad certum
genus ferarum. Quod ipsum Bes. locò sæpius me-
moratò ex Knichenio de investit. pact. adfert, dum
Nobiles Hassiæ antiqui & primi nominis, dicit
Niedesfel zu Zsenbach Venatione Aprinâ singulariter
investitos esse testatur. Interdum restrictum est
ad certum genus instrumentorum, venationi in-
servientium. Ita idem Besoldus, quibusdam Nobi-
libus

libus in Franconia solis sclopetis, quibusdam solis
canibus venari licere, refert. Porro Jus venandi
nonnunquam cum, quandoq; sine Jurisdictione
Sylvaticâ (Entweder mit oder ohne Forstlicher
Obrigkeit) competit. *Andr. Knichen. de Subl. &*
Reg. territ. Jure, cap. 4. n. 92. (5.) Ratione finis Ve-
natio *frustranea* est, vel *effectiva*. Frustraneam
voco, quæ sine venationis, capturâ feræ, excidit.
Quod sæpenumero, ob varias causas, contingere
solet. §. 13. *J. de R. D.* Quid per effectivam jam
velim, patet, cum contrariorum eadem scien-
tia sit, *arg. pr. J. de his, qui sui vel al. Jur. sunt.*
In fine finem operam dividendi, nisi Theologo-
rum Scholasticorum adhuc mentionem facere lu-
beat. Faciunt ii Venationem triplicem, *oppres-*
sivam, Albericus de Rosate sub V. venatio. *Are-*
nariam & saltuosam, *vid. Martin. in L. P. sub*
voc. Venatio. quarum equeidem prima & secunda
Species nihil ad rhombum nostrum, uti §. 2. & 3.
ostendi.

§. 5. Hic duo *ἑπιμαται*, quæ ad prædicta face-
re videntur, notanda & resolvenda veniunt, prius
quàm ad Subjectum venationis accedam. Operæ
autem pretium erit, eam quæstionem primo sta-
tim loco ventilare, *num venatio licita sit?*
cùm dixerim in §. 3. me acturum de venatione
B tantum

tantum saltuosâ & vulgari, tanquam licitissimâ & utilissimâ, Arenariâ & Persicâ, vice hâc, ad ultima Romæ & Persiæ, relegatis. Quid hîc sentiam, in promptu est. Affirmo. Non sine ratione. Si enim licitus est esus & usus carniû ferinarum, licita quoq; erit ferarum venatio. *Prius* notoriâ & universali populorum consuetudine, & Jure insuper Divino probatur. *Psalmô II. 8. Gen. IX. 2. & 3.* Ubi expressè inter alia Divinum Numen: *Alles was sich regt und lebt / das sey euere Speise.* *Consequentiam* roborant & confirmant *l. 3. de Jurisd. & l. 56. de procur.* ostendentes, omnia concessa esse, sine quibus id, quod concessum est, obtineri nequit. A ratione ad exempla saltum facio. Virorum scilicet Pietate illustrium, qui venationes partim permisere, partim ipsimet exercuerunt. De Isaaco Patriarcha vid. *Gen. XXVII. 3.* de Davide *1. Sam. XVII. 34.* de Salomone *1. Reg. IV. 23.* At quanti qualesve Viri! A DEO certè in oculis habiti. Quos peccasse venando nemo dixerit.

§. 6. At verò *obstare videtur*, quòd arti turpi & nequissimæ non liceat operam dare in Re- publ. Talem autem esse Venatoriam constat ex *c. qui venatoribus. dist. 86. cum quo conf. c. 8. & II. dist. ead.* Sed *obstare videtur.* Non obstat. Si- quidem ex mente *Panormitani*, aliorumq; in *cap. 1. X. de cler. venat.* abusus potius, quàm ipse usus
Vena-

Venationis in turpibus habendus est. Uti aliàs in omnibus hujuscemodi rebus non ex earum rerum naturâ, quibus utimur, sed ex causa utendi & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum, quod facimus. Per ipsa verba *c. quisquis. dist. 41.* Vel etiam cum *Wesemb. t. de acqu. rer. dom. n. 7.* dico, textus contrariantes non de saltuosâ, sed de arenariâ venatione loqui, ubi homines, s. sponte s. conducti, histrionico more modoque cum bestiis digladiantur. Hos peccare fatendum est. Quod ipsum *Besoldus in Th. pr.* etiam ad Spectatores ejusmodi Venationum extendit, eosque *mortaliter* peccare dicit. De quo tamen liceat dubitare. Quamvis, quod ex superfluo addo, peccata ocularia jocularia esse minimè statuum.

Si quis instet, venatorum multos homines esse nequissimos, & proinde artem quoque venatoriam nequissimam esse, responderi posset per negationem illationis. Certè ex malitia subjecti (*venatoris*) nunquam inferri poterit malitia & turpitudine objecti (*venationis*). Nisi asserere velis, sed absurdorum absurdissimum, ipsam etiam Jurisprudentiam Artem malam & improbam esse, quia multi, imò innumeri inter eos, qui Jcti esse volunt, dantur, qui causas non tam clientum, quàm loculorum suorum orant. Verè scilicet *prudentes Jure,*

Tam bene cum studeant provideantq; sibi.
uti lepidè *Ovvenus meus lib. 1. Epigr. 54.*

§. 7. Alterum *ζήτημα* Venationem, quatenus
in superiorem & inferiorem divisa fuit, concernit.
Nimirum dubium est, *num concessâ venatione
superiori, simul concessa videatur minor?*
Placet affirmantium partes tueri. Ratio movet
duplex. Prior à trito isto petita est: Concesso eo,
quod est majus, concessum etiam creditur minus.
L. 21. de R. J. Posterior è *cap. olim tibi. X. de V. S.*
ubi Principum privilegia largissimè interpretanda
esse docetur. *Conf. c. cum dilecti. in fin. X. de donat.*
item l. 3. ff. de Constit. Princip. **LIMITO** autem
& coarctato assertum cum *Besoldo in Tb. Pr. loc. sæpè
alleg.* distinguendo inter modos factæ concessionis,
ita ut affirmativam eo demum in casu militare
statuam, quando alicui Jus venandi superius vi
Jurisdictionis, *in Krafft der Fürstlichen und Landes-
Obriigkeit* / competit. Secus verò est, ubi quis
præscriptionis vel alio particulari Jure Jus venandi
majoris generis feras habet. *Sed quid dicen-
dum, si venatio alicui à Principe generaliter
concessa fuerit?* Num & tunc minores feras ca-
piendi licentia permessa erit? Respondetur. De
hâc nullum est dubium; *Desideratis. Dn. Carpzo-
vius p. 3. C. 32. D. 17. n. 14.* Sed de majori, quam
sibi

fibi reservasse Principes creduntur, per c. in generali concessione. de R. J. in 6. Add. Bes. Tb. pr.

§. 8. Venationis *subjectum* duplex nominò: *Principale* & *ministeriale*. *Principale*, quod in ipso Disputationis frontispicio videre est, *Principes sunt, tam Ecclesiastici, quàm Seculares, & porrò li, quibus Principes venandi facultatem concedunt.* *Illustris Dn. à Seckendorf in F. Fürsten Stat. p. 3. c. 3. Reg. 5. §. 1.* De Jure, quo sibi Principes contra Jus Gentium venationes vindicarunt, *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 5.* infra sermo erit §. 24. Jam de *subjecto* tantum, quod ostensum fuit, nonnulla noto. Nota quidem aliàs. Primum attinet *Clericos*. Iis venatio interdicta est de Jure Canonico. *C. 2. & 3. dist. 34. c. 1. X. de Cler. venat. c. fin. X. eod. Clementin. ne in agro. §. porrò. de statu Monach. Concil. Trident. Sess. 24. c. 12. Perez. in C. tit. de ven. fer. n. 7.* Sub *pœnâ* vel suspensionis à communione, vel ab omni officio, pro diversitate eorum, qui sæpius in hac voluptate fuerint detenti, uti loquitur *c. 1. X. de Cler. venator.* Si enim Episcopus est, punitur trimestri suspensione à Communione; Si Presbyter, bimestri; Si Diaconus, suspensione ab omni officio, per *c. modo alleg. 2. dist. 34. & c. 1. X. de Cler. ven.* *Prohibitionem* autem potissimum referunt ad venationem

nem clamorosa. *Gl. in c. 1. verb. voluptate. X. de Cler. venat. Desselius in Erotem. J. Can. T. dict. qu. 1. quamvis & hanc à Clericis exerceri posse asserant, si fiat per Laicos venatores. Hahn. ad Wesenb. T. de A. R. D. n. 7. verb. quare & Eccles. ex Bachov. Prohibitionis ratio est, quòd venatio communiter pro bellico quodam exercitio habeatur. Arist. 1. Pol. 5. in fin. à quo Clerici, tanquam à Professione suà maximè alieno, (vid. omnino Magnificus Dn. ZIEGLERUS, Hospes & Promotor meus venerandissimus, in Episcopo Milite, passim, & c. ex multa. X. de voto.) abstinere debent. Beatiss. Dn. Ungepaueus in comm. super Decretal. T. de Cler. venat. n. 2.*

§. 9. Hæc ita de Clerico Venatore secundum Jura Canonum obtinent. Sed quomodo à Clericis observentur, ipse Clericorum Princeps, *Leo X.* proprio exemplo ostendit. Eundem enim venationibus nimium indulgisse *Paulus Jovius, & Platina in Vitâ ipsius l. 4. p. 38.* testantur. Ut ea propter verè de Leone isto X, dixeris, *Leonem persecutem esse Leones.* Longè alia mens erat *Felici V.* itidem Pontifici Romano, quippe qui à Legatis quibusdam aliquando quæsitus, num ipsi canes venatici essent, piè respondisse fertur: *Hi (mendicorum multitudinem monstrabat) sunt canes mei;*

mei, quos alo quotidie, quibusve gloriam caelestem me venaturum confido. Vid. Volaterr. l. 3. Geogr. p. 43. Quicquid autem de eo sit, quod haecenus ex Canonistarum penu allatum est, aliud tenet de moribus hodiernis. Ut adeo firmo sic satis talo sententia stet, Subjectum venationis principale Principes tam Ecclesiasticos, quam Seculares existere.

§. 10. A Clericis venio ad Sexum Clericis interdictum. Puta sequiorem. Hunc interesse vagationibus sylvaticis vix licet. Aut, si licet, vix honestum erit. Non enim convenit pudori foeminarum, vagari inter Viros ferasq;, ob periculum & famae & corporis, quod subest. Tandem eorum etiam mentionem vel verbulo facere oportet, qui ex concessione & liberalitate Principum Venationes exercent. Hos etenim ad subjectum Venationis principale etiam retulisse me memini. Res experientia nemini non constat. Ut propterea multam Autorum cumulatione nihil indigeat.

§. 11. Ministeriale Subjectum ministri sunt, artis venatoriae periti, iis inservientes, quibus Jura venandi competunt. Sunt autem hodie vel *summi*, vel *medioximi*, vel *imi*. *Summus turmae venatoriae praefectus* Gallis dicitur le grand veneur, cui

cui fortè respondet, qui Germanis audit **der Land-
Jägermeister**. Eundem sequitur, quem idiomate
patrio vocamus **Ober-Forstmeister**. *Medioximi*
sunt: **Der Jäger-Meister / Forst- oder Wild-
Meister / Oberförster / Forst- und Jagt-Schreiber.**
Imi: **Der Förster / der Hegereuter / Windheher /
Forstknecht / Jägerknecht / & ejusce generis plures.**
*Vid. quibus lubet talibus immorari, Wehn. in obs.
pract. sub V. Forstrecht. nec non Illustris Dn. à Secken-
dorf in aureo suo Libro, quem vocat Teutscher
Fürsten-Stat / part. 3. c. 3. Reg. 5. §. 9. Cui adjunge,
si quidem minima maximis adjungere licet, tracta-
tulum Anonymi, Curia Varisc. editum sub Titulo, der
Edle Wendman.*

Quod si verò pristina Romanorum tempora re-
spiciamus, pauculos admodum offendimus in arte
venatoria ministros. In *L. 99. §. 1. de Leg. 3.* mentio
fit servorum, quos Romani in venationes aluere.
Quales autem fuerint, & cui operæ addicti, non
est expeditum. *L. e quidem 12. §. 12. ff. de Instruct.
vel instrum. Leg. de Vestigatoribus* loquitur, qui
à ferarum vestigiis, quæ indagarunt, dicti sunt.
Sed non fuisse plura Venatorum genera, probabile
non est. Movet me *Sciopius*, qui ad *lib. 4. Æn. Virgil.*
ex incerto quopiam Autore quatuor adfert genera
Venatorum ævi antiqui, *Investigatores, Indica-
tivos, Insidiatores & Alatos.* Sed satis de his.
Alatos

Alatos & Investigatores investigent Critici. Merum
jam erit, investigare Venationis Materiam circa
quam, seu *Objectum*.

§. 12. Id *Feræ* sunt, hoc est, talia animantia,
quorum feritas genitilis est, §. 1. *f. si quadr. paup.*
fec. dic. in naturali adhuc libertate existentes.
Non solum *noxia & feroces*, quas, ob diritatem
metumq; damni, à quolibet interfici publica uti-
litas svadet, & Jus Civile permittit. *l. un. C. de ven.*
fer. XI. Brunnemannus ad ist. Tit. item Azo ibid.
(quamvis mores hodierni aliud imperent) Sed &
minus feræ, quæ parum aut nihil nocere solent.
Qvales sunt Damæ, Lepores, Vulpes & similes.
Wesenb. T. de A. R. D. n. 7. Porro non solum *ma-*
jores, *Hohes / Schwarzk oder Roth Wildprät /*
(Quò pertinent Apri, Cervi, Ursi, & è plumatis
animalia non pauca, quæ vid. apud *Magnif. &*
Generosiss. Dn. Seckendorffium in T. Fürsten Stat.
P. 3 c. 3. R. 5. §. 2.) Sed & *minores*, *Niederer Wildprät.*
Qvales sunt Meles, Feles, Lepores, & ex Avibus
plurimæ. Huc ergò non pertinent animalia man-
sveta. Neq; eo in casu, quem suprâ §. 2. attuli,
ubi Ovis vel Porcus faucibus Lupi, quodam quasi
Venationis genere, rursus eripitur. *L. 44. ff. de*
acqu. rer. dom. Coll. Arg. t. cit. §. 15.

C

§. 13. For-

§. 13. *Forma Venationis nimiooperè variat.*
Pro varietate nimirum *Venatorum, Ferarum,*
Loci. Aliter enim venatur Hispanus, aliter Gallus,
aliter Germanus. Aliter capitur Cervus, aliter Leo.
Aliter Venatio instituitur in locis planis, aliter in
Montibus, aliter in Sylvis. De quibus omnib9 accu-
ratiùs venatoriæ artis gnari, quàm Jurium cultores
loqui norunt. Utut autem diversa sic satis sit vena-
tionis forma; eam tamen commodissimè ad duos
quasi fontes reduci posse arbitror. Ut sit vel
Violenta, vel Dolosa. Violentam videmus per-
agi per sclopeta, Venabula, & Canes. Dolosam
per laqueos, *l. 29. pr. ad l. Aquil. l. 55. de A. R. D.*
item foveas. *l. 28. ad l. Aquil.*

§. 14. Venationum *finem* constituo duplicem.
Primarium & Secundarium. Ille ipsa *Captura*
ferarum est. Secundarius, *Fucunditas* est & *uti-*
litas. Utilitas evidentissima est. Quippe redun-
dat in Statum Oeconomicum & Politicum. In
illum, quatenus occisi Cervi, & ejusmodi feræ
plures, pabula hominum fiunt. *Tacitus de Mor.*
Germ. in fin. & quatenus ad usus alios œconomicos
adhibentur. In hunc, quatenus Principes, Eorum-
que Ministri per Venationes asseverant bellicis la-
boribus pro Republ. aliquando eò feliciùs exan-
tlandis. Reddit siquidem venatio hominem ro-
bustum,

bustum, celerem, Eqvo regendo aptiorem, soler-
tem, & laborum patientissimum. *Dempsterus ad*
Rosin. in Antiqu. Rom. l. 2. c. 7. p. 274. Conf. Perez. in
Cod. Tit. de Venat. ferar. n. 6.

§. 15. *Effectus vel est venationis licitæ, sed*
nimiæ, vel illicitæ & prohibitæ. Illuc pertinet
Brutalitas & ferocitas Ingenii. Hi enim fructus
sunt ex abusu artis tam nobilissimæ propullulan-
tes. Besold. th. pract. loco sepiss. dict. Ut sanè nihil
contra verum dixerit, quicumque dixit, Venatorem
bestiam esse, insidentem bestię, animo bestiam
capiendi; Quod tamen meum ut faciam, absit. Per-
tinet hęc quoque Neglectus officii debiti, & si qua
alia ex assiduo & intemperato venandi studio oriri
assolent absurda. Quæ tum à Politicis, tum ab
Historicis hęc & illic atro carbone notantur. Illici-
tæ & prohibitæ Venationis effectus Pœna est, de
qua vid. Eberh. Speckhan. in quest. Jur. Cent. i. qv. 98.
& innumeri numero alii.

§. 16. *Modos Venationis, doctrinæ gratiâ,*
quadruplices facio. Acquirendi & Constituendi,
Utendi, Tollendi, Vindicandi.

Modi acquirendi Venationem sunt (1.) In-
vestitura. Webner. in obs. sub V. Forstrecht. (2.) Præ-
scriptio. Ratio, Quia Venatio Jus est. O. autem

jus præscriptibile. l. 3. & 4. C. de Præscript. 30. vel
40. ann. Modestin. Pist. Vol. 2. Consil. 14. quest. 2.
n. 28. & nostri seculi Oraculum, beatiss. Dn. Carpzo-
vius 1. Respons. 44. n. 17. (3.) Emptio, Colleg. Arg. t.
de A. R. D. §. 13. (4.) Pactio. (5.) Stipulatio. (6.) Testa-
mentum. Gail. 2. obs. 66. n. 6. (7.) Donatio s. mera
liberalitas concedentis, & si qui fortè plures tituli
acquirendæ venationis dari queunt.

§. 17. In modis Utendi Venatione respectus
habeatur ad quinque, *Tempus, Locum, Juris
Præscripti limites, Sumptus & Instrumenta.*
De singulis singulatim. (1.) Respectus habeatur
Temporis. Ut scilicet Venatio debito tempore
instituat. Non diebus festis aut Dominicis. Pie
& benè monente incomparabili Seckendorffio in
*Fürstl. Stat. P. 3. c. 3. Reg. 5. pag. 415. Conf. l. 11. C. de
feriis.* Non eo tempore, quo frugibus subdito-
rum in agris Canum Equorumq; cursitationibus
damnum inferri potest. Verba Juris Sax. clara
sunt l. 2. Art. 61. Niemand soll die Saat treten
durch Jagens oder Hetzens willen / nach der Zeit /
als das Korn geschosset / und Gliede gewonnen hat.
Quod si verò damnum fuerit secutum, resarcire
Principes tenebuntur, per ea, quæ habet Gail. obs.
68. n. 10. Ludovell. Exerc. 4. th. 5. lit. C. Zoës. ad T.
ff. de A. R. D. n. 14. & , qui primò omnium nominari
debe-

debebat, Cancellarius optimus, Dn. à Seckendorf in
E. Fürsten Stat / P. 3. c. 3. Reg. 5. §. 1. in fin. At ca-
vebunt quoque Principes pii & probi, ne adeo
multum temporis studio huic Sylvestri impen-
dant, cum in ipsis etiam urbibus fera saepenumero
animalia, hoc est, efferos homines & iniquos, ha-
beant, quos per eos, quibus capiendi & puniendi
cura incumbit, capere, & pro ratione delicti puni-
re haud dememinerint.

§. 18. (2.) Ratione *Loci* monendum hoc est,
ne venantes nonnisi in loco, ubi de Jure possunt,
hoc est, proprio, feras insectentur. Non enim,
uti olim, §. 12. de rer. div. l. 3. §. 1. de A. R. D. ita &
nunc in alieno venari licitum est. *Excipe*, si quis
ex speciali concessione Jus in alterius fundo ve-
nandi habeat. Quo casu absque metu doli Jure
suo uti poterit, per l. 55. de R. J. *Excipe* porro,
si persecutio feræ in tuo agro repertæ, in alterius
fundo fiat sine inflatu cornu venatorii, & irritatio-
ne canum, per text. express. *Juris Sax. lib. 2. art. 61.*
in verb: Jagt ein Mann ein Wild außser dem Forst /
und folgen ihm die Hunde in den andern Forst / Er
mag wol nachfolgen / also daß er nicht blase / noch
die Hunde anheße. Und misethut daran nicht / ob
Er das Wild fahet; seinen Hunden mag er auch
wol wieder ruffen. Cui consonat Gl. Wetshbilds
Art. 121, n. 12. Hæc autem ita tenent, nisi consue-
tudo.

tudo venatorum in contrarium adfit. *vid. Schnei-
devv. ad §. 12. n. 4. J. de R. D.* Sanè sunt, quos in-
ter *Harprechtus ad §. alleg. Inst. de R. D.* quibus
Jura isthæc Saxonica omnino sordent, tum ob
enascentem inde confusionem Jurium Forestalium,
tum ob lites & rixas ex confusione ista suborientes.
Sed eorundem sententiam non facio meam.

§. 19. Accidit interdum, ut venandi licentia
sub certis conditionibus & legibus, (Hic (3.) ad
limites Juris præscripti attende) concedatur,
quas violare nefas erit. Ita v. g. in ipsa quandoque
concessione usus bombardarum interdicitur, ob
tonitrua scilicet earundem, quibus feræ disturba-
ri, & in fugam conjici solent. *Menoch. Conf. 993.
n. 47.* De Nobilibus Germaniæ *Webnerus* habet
in observ. verb. Forstrecht / quòd iis regulariter
feras canibus tantummodo persequi liceat. Cumu-
lavit hac de re plura *Noë Meurerus in tr. vom Forst-
Recht* / quæ cum nausæa lectoris repetere reli-
gio est.

§. 20. In ipso Venationum usu ratio quoque
habenda (4.) *sumptuum*, ne immoderati sint &
excessivi. *Tiraquell. de Nobilit. c. 37. n. 149.* Quod
Instrumenta tandem (5.) concernit, quibus Ve-
natores utuntur, distingvo tempora & loca. Hæc
tacebo studio brevitatis. Tempora quod attinet,
longè alia erant olim Instrumenta Venatorum, atq;
hodiè

hodiè sunt. Ex armario Veterum nulla adfero, nisi
Lineam istam verficulorem, cujus meminere
*Dempsterus ad Rosin. de A. R. l. 2. c. 7. Cælius item
Rhodiginus l. 16. antiqu. lect. c. 11.* quâ, ex diversis
avium plumis contextâ, feræ sylvis concludeban-
tur & terrebantur. Nostro tempore animata sunt
& inanimata. Eò spectant homines, sive rustici,
sive alii, & animalia irrationalia, Equi, Canes. Huc
venabula, retia, laquei, sclopeta.

§. 21. *Tollitur Venatio, sive (quod, pro ra-
tione subjectæ materiæ, idem mihi in Disp. sæpis-
simè est) Venationis Jus, bifariam: Vel volun-
tate ejus, qui Jus hoc habet, vel præter ipsius
voluntatem.* Priori modò: (1.) *Cessione.*
Limita, si cedi potest. Cessio enim neutiqvam
valebit, si venandi Jus in specie ad certam aliquam
personam, vel certum aliquod castrum restrictum
est. *Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 20. tb. 3. lit. C.*
Ratio, Quia videtur electa certæ personæ qualitas,
(uti in contractu Societatis, §. 5. *J. de Societ.*) cum
non omnes æqualiter hoc venandi studio delecten-
tur, neque etiam omnes feris æqualiter indigeant.
Quod si jam cessio in tali casu fieret, facilè alteri per
alterum iniqua conditio inferri posset, quod fe-
rendum non est, *per l. 74. de R. J.* Accedit, quòd
Venatio dicto in casu sit beneficium personale,
quod personam egredi nequit, *l. 196. de R. J. §*
6. 7.

c. 7. de R. J. in 6. Huc refer Venationes concessas precario, quarum mentionem feci in §. 3. Hæ itidem cedi nequeunt. *Besold. tb. pr. sub V. Zagen.* (2.) *Renunciatione*, arg. *l. 15. C. de Episc. & Cler. l. 29. C. de pact.* (3.) *Donatione*, arg. *l. 21. C. mandati.* (4.) *Venditione*, per *l. 34. §. 1. de contrab. empt.* & si qui fortè alii adhuc modi tollendi Jus Venationis existunt.

Posteriori modò rursus dupliciter: *Vel cum, vel sine culpa ejus, qui Jure Venationis fruitur.* *Cum culpa*: (1.) *Prescriptione.* *L. 28. pr. de V. S. C. J. A. Tit. de A. R. D. §. 20.* (2.) *Proscriptione*, per *express. Ordin. Camer. p. 2. t. 9. §. So jemandt. vers. So bald auch der. & Recess. Imper. de anno 1576. §. Ob auch wol in angezogenen.* Quæ ob enormia scelera dictari solet. Huc referendus videtur casus, quando quis propter crimen Feloniæ commissum unà cum Feudo Jure quoque venandi exuitur. *Sixtin. de Regal. l. 1. c. 6. n. 67. & seqq.* *Sine culpa*: (1.) *Revocatione.* *Sixtin. loc. modò alleg. n. 4. & seqq.* Quod potissimum in precariâ Venatione conspicimus. Pro natura Precarii, quod pro lubitu revocari potest, *l. 1. ff. de precar.* (2.) *Termini*, ad quem Jus venandi adstrictum erat, lapsu. arg. *§. 5. J. quib. mod. tut. fin.* (3.) *Interitu Sylvæ aut fundi*, cui Jus Venandi inhaeret. arg. *§. 3. J. de usufr. & L. 5.*

Et L. 5. §. 2. ff. quib. mod. ususfr. vel us. am. Conf.
l. 178. de R. J. & C. Accessorium. de R. J. in 6. ex ratio-
ne item Philosophicâ, quâ Accidens sine subiecto
non posse esse dicitur. Modestin. Pist. Vol. 2. Consil.
14. qu. 1. n. 14.

§. 22. *Vindicatur* Jus Venationis actione vel
Possessoria, (v. g. Interdicto, uti possidetis) vel *Peti-*
toria, vel *Personali*. Per Petitoriam s. Realem in-
tellige confessoriam & Negatoriam utilem. Con-
fessoria alter confitetur, se v. g. in alterius fundo,
adversario non contradicente, longissimo tempore
venatum, ab alio verò in possessione jam turbatum
esse, proindeq; petere se dicit, ut Jus istud ipsi ite-
rum restituatur. arg. §. 2. f. de act. Cum autem non
sufficiat nuda allegatio Juris, sed probandum quoq;
Jus istud sit, sciendum, probationem variè fieri posse.
Interdum fit per testes senes, qui vel ipsi id viderunt,
vel à majoribus, id ita per tempus immemoriale
factum esse, audiverunt. Gail. 2. obs. 66. n. 4. & 5. In-
terdum per instrumenta sive literas investituræ.
Harpr. ad §. 12. f. de rer. div. n. 295. Quandoq; Jus ve-
nandi probatur factâ hactenus locatione foresti,
(non quòd sentiam, Locatione Jus in re acquisitum
esse, cum illa sit contractus, ex quo non nisi Jus ad
rem fluere constat,) Exactione mulctarum circa res
forestales, & pignorum captione. *Personali actione*
venit tum ea, quæ ex contractu, tum quæ ex delicto

D

oritur.

oritur. §. 1. *J. de act.* Ex contractu tam innominato,
(ubi v. g. venatio permutacione acquisita est) quam
nominato. Ex delicto, sive publico, sive privato.
Huc referenda est actio injuriarum, quando vena-
tor limites foresti transfiliit. *l. 13. §. ult. de injur.* Ad
publicum verò delictum pertinet actio criminalis,
quòd hodie Judicium publicum æquè ex furto Fe-
rarum, uti ex aliis rebus furto sublatis instituatur.
Vid. immortale Nomen, Carpz. in Pr. Crim. p. 2. qu. 84.

§. 23. Nunc pomum Eridis spargimus. Proble-
ma scilicet maximè controversum, *de Justitia ve-
nationis à Principibus asserta.* Animus autem
erat, de Justitiâ hâc prolixius agere. Verùm enim
verò tempore interclusus, pauculas saltem & festi-
natas lineas adjicio.

§. 24. Ad rem. Justè à Principibus Venatio
adempta est privatis hominibus. Maximè civibus
tenuioris sortis & rusticis, *Laudatiss. Dn. à Secken-
dorf loc. cit. ὁμοψήφως* habeo VIROS celeberrimos,
*Bachovium, Brunnemannum, Facbinæum, Grotium,
Hanedæsum, Hunnium, Ludovellum, Perezium,
Sprengerum, Struvium, Zoësum & innumeros alios.*
Sed Autoritatibus non adeò mihi placeo. *Causas
vis? Dabo.* Impulsivas ecce tres. (1.) est Cura ser-
vandarum specierum in animalibus. *Wesenb. T. de
A.R.D. n. 7.* (2.) Evitatio avocationis ab agricultura,
*Wes. d. loc. Opificiis, Fach. l. 1. contr. J. c. 1. & aliis voca-
tionis*

tionis lux officii. *Hanedæf. Exerc. Imp. 8. qu. 7. (3.)*
Studium Pacis & Tranquillitatis in Republ. quæ sanè
alioqvi sæpissimè periclitaretur, tum ob communi-
tionem, matrem rixarum, *l. 77. §. 20. de Leg. 2. Carpzov.*
P. 3. C. 15. D. 43. n. 1. tum ob indifferentem usum armo-
rum, quæ præsertim ad venationem majorum Fera-
rum requiri constat. *Wes. T. dict. n. 7. At quo quæso*
Jure, Jus G. (quod in *§. 12. J. de R. D. L. 1. & seqq. de A. R. D.*
cernere est) *tantoperè immutatum?* Optimo sanè, (di-
cunt) 1. Jure præscriptionis immemorialis. *Haned. Exerc.*
8. qu. 7. 2. Jure Superioritatis, quò, ubi Principes domi-
nium nemorum diutinâ usurpatione priùs acquisive-
rant, venationem privatis, absq; metu injuriæ, inter-
dicere potuerunt. *Wes. d. loc.* Accedit, quòd Princi-
pes potuerunt, & adhuc possunt id, quod majus est,
nimirum res subditis auferre ex justa causa. Qua de re
ex professo & accuratè *Excellentissimus Dn. NERGER-
RUS, Patronus meus maximoperè venerandus, in Dissp.*
*non ita pridem habitâ de Majestatis Dominio superemi-
nenti in bona civium.* Ergò multò magis poterunt id,
quod minus est, impedire videlicet acqvirendi mo-
dum, ad cujus species Venationē referri notissimū est.
Istud autem circa immutatum Venandi Jus adhuc no-
tandum probè est, quòd non in totum mutatio facta
sit, cum & hodiè feræ bestię laxitate suâ naturali gau-
deant, *vid. Magnif. Dn. ZIEGLERUS, Patronus meus ad*
urnam usq; suspiciendus, in aureis notis ad Grotiū l. 2. de J.

2428
B. G. P. c. 8. §. 5. & ex una Sylva in aliam se liberè confe-
rant. Ubi hujus Sylvæ Dominus venari & capere eas
meritissimo suo potest. Ob illam regulam Juris G.
Quicquid est nullius, cedit occupanti, §. 12. *J. de rer. div.*
l. 3. pr. de A. R. D. Neq; etiam Principes alio, quàm Gen-
tium Jure feras bestias suas facere possunt. *Vid. Dn.*
Frantz. Exerc. 4. ad Inst. à n. 4. & Dn. Job. Strauchius
de Imp. maris, c. 8. §. 5. Quæ circa hanc de justitia Ve-
nationis à Principibus assertæ quæstionem in contra-
rium à contrariantibus adferuntur, conglomerare
superfedeo. Servabo conflictui. Tantum.

§. 25. Constitueram eqvidem, Justitiam pœnæ
capitalis, Venatoribus temerariis à Principibus dictæ
examinare, & porrò nonnulla de origine Venationis,
tam nominali, quàm reali, de pœna item Venatorum
solenni, quâ eos, qui, inter ipsos versantes, terminos
Venatorios ruditer exprimunt, afficere solent, & plu-
ribus aliis superaddere. Sed modicum temporis,
quod vitæ Wittebergicæ relictum, pennam cohibet.
Et brevis complacet. Boni paucillula hæc æqui bo-
niq; consulent. Mali & in pauculis his reperient, quod
culpent. *Culpent.* Ego ex Sylvis & saltibus exeo.

GLORIA IN EXCELSIS DEO!

ELECTORI PAX!

PATRIBUS ACADEMIÆ

SALUS!

B. h. II, 152
h. 40, 14.

DISPU
VEN
PR

MAGNI
AU

PRÆNO

DN. JOA
GRYPHIMON
CELEBRATISSI
ET FACULTATIS
JUDICII DU

Patrono & Pro
P
Summos in utr

ad diem XIII.

M. FRI

WITTEBERG



7955)

II R
2428

RALIS
NE
M,

RDINIS
O,

SSIMO

GERO,
TECESSORE
SCABINATUS,
UNT, NEC NON
SSESSORE

vanter colendo,

a Doctoralia

orio Majori,

ERUS,

Typogr.

